



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Richardi Archdekin Soc. Iesu S. Theol. Professoris  
Theologia Tripartita Sive Resolutiones Polemicæ,  
Speculativæ, Practicæ, Controversiarum, & Quæstionum,  
etiam recentissimarum, quæ in Schola, & ...**

Missionarijs, & alijs animarum Curatoribus, & Theol. studiosis solerter  
accommodatæ ...

De Controversijs Polemicis, & Scholasticis, etiam modernis

**Archdekin, Richard**

**Antverpiæ, 1682**

§. 1. De Confirmatione.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40853**

§. I. *De Confirmatione.*

**P**rimò itaque Confirmationem verum esse Sacramentum ex Scriptura, cum primitivæ Ecclesiæ traditione conveniente probamus. Nam *Act. cap. 8.* narratur quod cum audissent Apostoli quòd Samaritani recepissent Verbum Dei, & baptizati essent in nomine Domini Jesu : *Tunc imponebant manus super illos & accipiebant Spiritum sanctum.* Atqui illa impositio manuum post Baptismum erat signum sensibile vi cuius conferebatur Spiritus sanctificans. Ergo erat Sacramentum distinctum à Baptismo, quod Ecclesia ab initio Confirmationis Sacramentum appellare consuevit. Nihil enim aliud ad propriam Sacramenti rationem requiritur, quam ut sit signum sensibile, à Deo constitutum, ad conferendum gratiam sanctificantem, sine qua Spiritus sanctus accipi non potest. Quæ institutio iterum *Act 19. v. 6.* declaratur, ubi narratur, quomodò Paulus postquam in nomine Jesu baptizavit, *imposuit illis manus, & venit super eos Spiritus sanctus;* cum aliis donis externis, quæ illi erant annexa.

Hic autem Scripturæ sensus ex traditione, & consensu primitivæ Ecclesiæ aperte colligitur. Nam *Clemens I. epist. 4.* primo sæculo ab initio Ecclesiæ illius usum his verbis declarat. *Omnibus festinandum est sine mora renasci Deo, & demum consignari ob Episcopo, sepriformem Spiritus sancti gratiam percipere... quia aliter esse perfectus Christianus nequaquam potest... ut à B. Petro accepimus, & ceteri sancti Apostoli præcipiente Domino docuerunt. Quid quæso in rem hanc clariùs, quid antiquius potest*

potè ap ipso Petro , cæterisque Apostolis continuo per manus acceptum.

In tertio sæculo *Fabianus epist. 2.* Sancti Chris-  
matis confectio per singulos annos est agenda...  
quia novum *Sacramentum* est.

Melchiades Papa , qui quarto post Christum  
sæculo Ecclesiam gubernavit *ad Episcopos Hispania*  
sic scribit. Quæsitis utrùm majus esset Sacra-  
mentum manus impositio Episcoporum , quàm  
Baptismus ? Scitote utrumque magnum esse Sa-  
*cramentum* : & sicut unum à Majoribus fit, id est,  
à summis Pontificibus, quod à minoribus perfici  
non potest, ita & majori veneratione veneran-  
dum & tenendum est.

S. August. *lib. 2. contra litteras Petiliani c. 104.*  
In hoc, inquit, unguento *Sacramentum* Chrisma-  
tis vult interpretari, quod quidem in genere vi-  
sibilem signaculorum sacrosanctum est, sicut  
ipse Baptismus. Alios primitivæ Ecclesiæ testes  
præterea plurimos : quia ex his manifestum est  
aut primævam Ecclesiam errasse, aut Ecclesiam  
Romanam Confirmationis *Sacramentum* ritè u-  
surpare.

§. II. De *Extrema Vnctione.*

**S**acramentum extremæ Vnctionis fundatur in  
Scripturis *Marci 6.* Ubi de Apostolis dicitur.  
"Et exeuntes prædicabant ut pænitentiam age-  
rent, & dæmonia multa ejiciebant, & unge-  
bant oleo multos ægros, & sanabant. Materia  
autem, forma, & effectus hujus Sacramenti di-  
stinctius declaratur *Iacob. 5.* *Infirmatur quis in*  
*vobis, inducat Presbyteros Ecclesia, & orent super eum*  
*ungentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei*  
*salvabit infirmum, & si in peccatis sit remittentur ei.*

L. 3

Ex